



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.  
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Art. 6. Vtrum Incarnatio debuerit differri vsque ad finem mundi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

rimi præcones antecederent, qui cum varijs signis, oraculis, & ceremonijs, mentibus hominum repræsentarent: tum, vt ardentius ab illis desideraretur & susciperetur; tum, vt firmius postea teneretur. Ita D. August. tract. 31. in Iohannem. Secundò, non erat conueniens ratione diuinæ iustitiæ, quæ postulabat vt Deus ostenderet, quantum sibi peccatum Adæ displiceret. Sicut enim vno homine peccante Deus interdum diu illi irascitur, vt illi grauitatem peccati ostendat; ita etiã peccante in Adamo toto humano genere, vt Deus ostenderet quantum displiceret peccatù, se diu toti humano generi iratum ostendit. Ita D. Bonauent in 3. dist. 1. art. 2. q. vlt. Tertio; Ratione ipsorum hominum, quos oportebat disponi ad tantum Regem suscipiendum. Dispositi autem sunt dupliciter; primò directè, nempe per legem naturalem, Deinde per legem scriptam, ceremonias & prophetias. Secundò indirectè, per considerationem suæ imbecillitatis, dum viderunt se adminiculis prioribus non potuisse saluari: hoc enim occasio illis fuit ardentius Christum desiderandi. Ita Augst. lib. 19. contra Faustum cap. 7. & D. Leo serm. 3. de Epiphania. Et credibile est nisi sic homo dispositus fuisset, quòd non diu fidem & religionem tenuisset, præsertim in superbâ illâ & robustâ naturâ, qualis erat ab initio: vnde pauciores longè fuissent saluati. Quarto, Ratione naturalis ordinis humanæ naturæ accommodati, quæ requirit, vt successiuis incrementis in bonum promoveatur; Iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 15. vers. 46: *Non prius quod spirituale est, sed quod animale.* Vnde primò tantum data est lex naturæ, deinde lex Moyfi, postea expressiores prophetiæ, tandem lex Euangelica. Ita Gregorius Nazianz. in sermone de Paschate. Et Theodoretus de curandis Græcorum affectibus:

## ARTICVLVS VI.

*Vtrum Incarnatio debuerit differri vsque ad finem mundi?*

**R** Espondetur negatiuè. Probatur tribus coniecturis: Prima, quia Incarnatio est causa

salutis humanæ; causa autem non debet esse posterior, sed potius prior suis effectis; alioquin paucissimi fuissent saluati. Secunda, quia si tam diu fuisset dilata Incarnatio, Dei notitia & reuerentia, morumque honestas penitus intercidissent, & ita vix vlli Christum susceperissent. Tertia, quia conueniebat vt homines pluribus modis ad salutem promouerentur; nempe non tantum fide Christi futuri, sed etiam præsentis, & maxime præteriti: sic enim diuina virtus & sapientia magis declaratur.

Dices: Scripturæ docent Christum venturum in carne, nouissimis diebus. Isaia 2. vers. 2. *Erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini, id est, Christus; super quem domus Domini, id est, Ecclesia ædificatur.* Idem habetur Michæ 4. Respondeo totum tempus gratiæ in Scripturis dicitur nouissimum, & nouissima ætas; quia nulla alia lex, aut sacerdotium, aut Sacramenta, cultusue Religionis debet succedere; sed hæc omnia vsque ad finem sæculi durabunt. Vnde ad Galat. 4. vers. 4. dicitur *Plenitudo temporis*, quia omnes prophetiæ in hoc sunt impletæ. Prioris ad Corinth. 10. vers. 12. vocatur, *Fines sæculorum.* 11. Ioan. 2. vers. 18. *Nouissima hora.* Matth. 20. vers. 6. *Vndevima hora*, iuxta expositiones Patrum. In hymno Ecclesiæ, *Vespera mundi*, & D. August. lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 23. vocat *Senectutem mundi.* Alibi tamen, scilicet lib. 83. qq. q. 44. vocat *Mundi iuuentutem* propter fidei feruorem & gratiæ vigorem, vt exponit ipsemet lib. 1. Retract. cap. 26.

Ex dictis duobus articulis sequitur conuenienti tempore Christum venisse, nempe in medio peregrinationis humanæ. Sicut enim cor est in medio hominis, vt omnibus membris vitam impartiat; ita Christus, qui est veluti cor generis humani, debuit quodammodo esse in medio; vt & superiora & inferiora ab ipso vitam accipiant. Vnde Habacuc 3. vers. 2. *Domine opus tuum in medio annorum, vniifica illud.* Id est, excita, perice opus illud eximium nostræ redemptionis in medio annorum captiuitatis & peregrinationis nostræ.

## QVÆSTIO SECVNDA.

De modo vnionis Verbi Incarnati.

*In duodecim Articulos diuisa.*

**P**ostquam ostendit D. Thomas huius mysterij conuenientiam, necessitatem & finem præcipuum; incipit explicare eius naturam, maximè ex causis suis intrinsicis. In quauis autem re, quæ ex plurium vnione resultat, quatuor potissimum considerari possunt: Primò, quid sit illud quod ex vnione resultat. Secundò, qualis sit ipsa vnio: quæ duo hac questione secundâ explicantur, additis quibusdam de causâ eius meritoria. Tertio, considerantur res ipsæ quæ vniuntur, & ordo illarum; quod explicatur questione tertiâ, quartâ, quintâ, & sextâ. Quarto; proprietates quæ ex vnione consequuntur, à questione septimâ & deinceps.

## ARTICVLVS I.

*Vtrum vnio verbi Incarnati fuerit facta in natura? id est. Vtrum ex vnione Verbi & humana natura, resultauerit aut constituta fuerit vna natura?*

**R** Espondeo Negatiuè. Hoc loco tractanda est prima controuersia contra Hæreticos de hoc mysterio.

D. V. B.